1590

K 3540
307

FIRPO
3613
BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO

ORATIO BALDI CATANEI HABITA ROMAE AD AMPLISSIMOS S. R. E. CARDINALES

Cum subrogandi Pontificis causa Conclaue ingressuri essent viij. id. Oct. CIↃ.IↃ.XC.



ROMÆ, Apud Ioannem Martinellum.
M. D. X C.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

ORATIO
BALDI CATANEI
HABITA ROMAE
AD AMPLISSIMOS
S. R. E. CARDINALES

Cum subrogandi Pontificis causa Conclaue ingressuri essent viij. id. Oct. cIↃ.IↃ.XC.



ROMAE, Apud Ioannem Martinellum.
M. D. XC.

DE LICENTIA SVPERIORVM.

ORATIO
BALDI CATANEI DE SVBROGANDO PONTIFICE.



PERICLITATVR multis terra, mariq; procellis exagitata, & inter maximas afflictatur calamitates sancta Dei Ecclesia, Patres Amplissimi. Hic etenim ciuium inter ciues durissima, & intestina exardescunt bella, templa Dei domus sacerdotum sanguine perfusa dehonestantur, plurimorum animi mortifera hæresum tabe commaculantur: ibi a perpetuo Christiani nominis hoste cunctis dira, & efferata tyrannide oppressis ab vberibus ad seruitutes pueri trahuntur infantes, viri omnes Christo mancipati exquisitissimis afficiuntur supplicijs, virgines puellæ Deo dicandæ defloratæ dæmonibus sacrificantur: vbiq; tandē pericula imminent, minantur erumnæ, exspilant rapinæ, grassantur morbi, trucidant clades, Christi pauperes rerū inopia, & fame laborātes gemitibus, & eiulatibus omnia complere videntur. In hoc igitur luctuoso statu Christianæ res versantur afflictæ, hanc speciem Catholica præsefert Ecclesia; quæ grex sine pastore formidat, nauis sine gubernatore perhorret, templum sine Pontifice squallet, & quasi vidua in luctu, & mœrore sedens alium præter vos nullum expectat consolatorem. Vos enim ex vobis vnū in summum Pontificem creare debetis, qui illam labentē regat, nutantem confirmet, tueatur naufragantem: quiq; ad supremum dignitatum apicem euectus Christiani orbis moderetur habenas. De quo nunc quis nam sit declarandus vos estis deliberaturi; ipse vero vestra fretus humanitate, & Spiritus Sancti, cuius numen paulo ante sa-

A 2 crificantes

crificantes implorauimus, auxilio suo, qualis sit eligendus breuiter sum de more dicturus. Et tacerem vtiq; nisi vestrum vigeret imperium: dicerem vero libentius, nisi vestra tantarum rerum inueterata iam, & per se probata experientia tacendum moneret. Verum vt a demandato mihi munere me expediam, vt que arrogantiæ, & impudentiæ crimen euitem, dicam tamen, & quid in re tanti momenti maxime conducat non meis, sed Christi domini verbis tantummodo dicam. Quare, etsi sapientissimi sitis, quod vobis quid quaque in re opus sit in mentem venire solet, sapientiores tamē eo nomine esse ne dedignemini, quod bene dicta libenter audiatis, & bene inuentis libentissime obtemperetis. Et vero si vlla vnquam grauis, & periculosa deliberatio magnum vobis facessit negotium, hæc vna maximum facessat necesse est: is nanque mundi princeps est inter vos eligendus, qui morum sanctitate, doctrina, prudentia, charitate, auctoritate ceteros antecellat omnes: is dominici gregis pastor est renunciandus, qui commissas sibi oues pascat, dispersas congreget, centesimam illam deperditam suis reportet humeris, morbidas, si quæ sunt, ne ceteras corrumpant, amandet: is Catholicæ nauis declarandus est gubernator, qui eius cursum consilio regere, integritate tueri, virtute conficere possit: is tandem Pontifex est assumendus, qui, vt mortalium infirma fert conditio, sit sanctus, innocens, impollutus, a peccatori bus segregatus, qui nostris compatiatur infirmitatibus, qui Deo charus suis precibus penetret Cęlum, qui denique nullius sibi conscius rei Christi vices gerat in terris. Id autem hac vna re pręstare exactissime poterit, si Christi Iesu, cuius Vicarium se profitebitur, vel dictis obsecundauerit, vel res a Christo gestas fuerit imitatus. Quod Pontificem, quem expectamus, iam fuisse assequutum, & Christum ad viuum fore relaturum pro comperto idcirco est habēdum, quia inter vos sedet, quorum capiti impositum regium diadema, non purpura, & murice infectum, sed Christi sanguine tinctum, atque

exornatum

exornatum demonstrat vestras omnes cogitationes esse de Christo; nihil vos velle, nihil intelligere, meminisse nihil, quod non sit Christus. Quamobrem facillimum mihi profecto erit nunc, cum Pontifex desideratur, ea vobis in memoriam reuocare; & vestris pectoribus medullitus infigere, quæ in Pontifice requirēda Christus tunc dixit, cum prima Ecclesiæ iaceret fundamenta. Pollicitus erat Dei filius, dum inter homines versaretur homo, se supra Petri firmissimam petram suam ædificaturum Ecclesiam, quæ staret semper; nō modo si vniuersus orbis illi machinaretur insidias, verum etiam si contra illam rebelles omnes pugnarent inferorum spiritus; atq; Petro, & successoribus se Cęli claues daturum promiserat, cum subito, ex aliquot Petri verbis sumpta occasione, omnes quidē, sed, vt existimo, Petrum pręcipue, hoc est futurum Ecclesiæ caput sic est alloquutus. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Pręclarissimum, vt cetera omnia, Christi domini dictū: quod non solum nos omnes docet, quæ sint Christiani hominis partes; sed quod maxime vos monitos vult, Patres Amplissimi, se talem ex vobis optare Pontificem, qualē eius verba declarasse videntur. Attendite igitur, vt qui summus subrogandus est Pontifex euangelicę sentētię (quod quidem difficile minime erit) re ipsa pro viribus respondere possit, & quod ceteri seruant, ipse, in quem plerique intuentur omnes, præ ceteris seruare conetur; ac primum sibi a Christo mandatum putet, vt se ipsummet abneget: quasi hæc verba hoc vnum dicant aperte. Qui populi a Christo electi summus futurus est Antistes, hic veterem exutus hominem nouum induat, & per se nihil, per Deum omnia posse confidat, quod heroicæ est humilitatis; quā Christus toto vitę cursu ita est amplexus, vt cum in forma Dei esset, se ipse exinanire voluerit: non quæ sua, sed quę pauperum, & quæ Dei sunt, semper inquirat, in scelera animaduertat cum maxima vel vilissimi sanguinis parsimonia, quod beneficētissima charitas docet, quam Chri-

stus

ftus Deus sic adamauit, vt ob nimiam charitatem innocēs pro nocentibus se ipse necandum tradiderit: non sibi vni credere, non suis consilijs fidere velit, quamuis multa norit, & calleat multa, quod vigilantem sapit prudentiam, quam Christum aperto ore & laudasse, & præcepisse non ignoratis; neget tandem se esse quod est; nullis nempe humanis moueatur perturbationibus, nullis perturbetur affectibus; non opes illum alliciant, non flectant consanguinitates, nulli concutiant metus, nullæ animi ægritudines, vnquam deturbent a recto, quæ sanctimoniæ integritatis, auctoritatis, iustitiæ clarissima sunt argumenta, & a Christo præsertim omnium huiuscemodi virtutum petita exempla. Nam pauper ipse factus se totum pauperibus dedit; suorum fratrum regis dexteram, & sinistram efflagitantium supinā petendi inscitiam palam, & arguit, & damnauit: Dei zelo maxime concitatus solus, & inermis vendentes plurimos, & ementes eiecit de templo: & quod in primis est obseruandum, eos tantum dixit sibi sanguine esse coniunctos, & ab illis prçcipue se commoueri affirmauit, qui in seruanda, exequendaq; Dei præcepta omne studium operam omnē conferre consueuerunt. At certe is, quē vos subrogaturi, nos vero habituri sumus Pontificem non solum ijs, quæ diximus animi ornamentis clarere, sed, quod perfectius, & ornatius est, Crucem suam tollere, & libens portare deberet: sentire scilicet se hominem esse, quare nihil humanum a se alienum putare; intelligere Principem in homines, Deum in Principem esse animaduersurum, ideo nihil non æquum perpetrandum existimare; noscere tandem perturbationes, ęgritudines, morbos, aduersa omnia, interitum ipsum cum ceteris habere communia, & quæ maxima est omnium dignitas minimam esse fumi vmbram recente exemplo considerare, singula hæc, & pleraque omnia, quæ mortalibus accidunt mala pacato, & alacri animo propter Christum ferre; compati ceteris, qui eadem cruce grauantur, & huiusmodi animi, & corporis cruciatus, tanquam Dei bene-

ficia in se collata perferre. Sic enim futurum, vt hic nihil sibi, omnia Deo deferẽs res Christianas summa cum charitate, & pietate gubernet, ac Christianum orbem in pristinum illũ exoptandũ statum facillimo reducat negotio. Vel tollat crucem suam, eam scilicet crucem, cui suffixus nostræ libertatis vindex Christus Deus ex suo met latere dura cuspide transfosso formauit Ecclesiam, quam ex vulnere suo formatam corpore nutritam, ditatam sanguine Vicario custodiendam tradit, qui videat de Christi filia sibi esse curandum, quique cognoscat se a Christo Ecclesiæ caput esse constitutum, cui cetera, quæquæ illa sint obediant membra, & se per Crucem omnia posse, qui per crucem omnia fuit adeptus. Quare qui Christianas pauerit oues Crucis virgam abripiat, qua suum emendet gregem, & feras omnes bestias arceat ab ouili. Qui in nauicula Petri sederit in puppi clauum Crucis teneat, quo ancipitem dirigat cursum, & sibi propositum salutis inueniat portum: qui denique summus Ecclesiæ Pontifex, & Princeps est futurus Crucis claues assumat, quibus aperiat cui aperiendum, claudat cui claudendum est Cęlum; Crucis arma induat, nec vllas sibi aduersantes pertimescat vires, sciat sua vti auctoritate, & Cruce munitus, pro Crucis honore nullos formidet metus, nulla curet pericula, nullum perhorrescat bellum: hoc enim lignum mundum domuit, infernum confregit, necem ipsam penitus enecauit. Qui ergo Crucem tulerit, & se quamuis malis omnibus obnoxium, Cruce tamen armatum, Christi fungentem vicibus, summa auctoritate pręditum esse cognouerit, hic a vobis catholicæ libertatis defensor, & Pontifex est decernendus. Hic nanque Christum sequetur ducem (quod vltimo loco proposui explicandum) in Christum intuens, ad Christum tanquam ad speculum suos cõponet mores, neque se alio vertet, nisi quo Christi vestigia videbit impressa. Quod qui fecerit (facientem vero eligere debetis) nemini dubium profecto relinquet, quin hic Christum sequutus, Christi Vicarius dignus sit futurus,

rus,

rius, qui verbo vitæ suos pascat populos, panem Angelorum egentibus frangat, fideles diuino tueatur zelo, rebelles ictu Crucis prosternat, nihilque quod in Pontifice desiderari possit, desiderandum relinquat Ecclesiæ. Nil aliud nanque est Christum sequi, quam Christum ante oculos semper habere, Christo se conformare, Christum de vnaquaque re semper consulere, in hoc Christum precipue imitari, alieni appetens nunquam, sui vero semper esse profusus, perficere tandem, vt qui virtutes, quæ in ipso elucent referre velint, exẽplar extra ipsum inuenire minime possint. Munus, quod demandastis (vtcumq; per tẽpus, & ingenium licuit) confecisse mihi videor, Patres Amplissimi, & quem desideramus adumbrasse Pontificẽ; vestri nunc muneris erit (pace vestra monuerim) vestrũ omnium penitus obliuisci, Dei honorem solum meminisse, nostrum omnium votis respondere, & eum summum renunciare Pontificem, in quo summa sint omnia: quod vobis facilius erit factu, quam quod facillimum: vestrum enim istud sacrum collegium non nisi vberrimum est optimorum Pontificum seminarium. Tu igitur ò sancta, & pia omnium mater Ecclesia mœrorem comprime, luctum minue, lachrimas terge solare tandem: nam expectatum illud iam, iam instat tempus, quo exulabunt metus, reparabuntur ruinæ, tacebunt bella, deturbabuntur mala, bona reuocabuntur: hi enim Patres sancto afflati spiritu, quos tu genuisti, quos aluisti, quos decorasti, de tua solicitudine, deque tua dignitate magis ipsi soliciti, tibi qua poterunt celeritate eum, quem flagitas reddent Pontificem, qui tuis medebitur vulneribus, tuas sanabit ęgritudines, tuos morbos depellet. Confide quoque in hoc vno Pontifice, quo dante Spiritu Sancto per hos integerrimos Patres mox decoraberis, admirabilem Pij Quinti sanctimoniam, effusam Gregorij Decimitertij charitatem, inconcussam Sisti Quinti auctoritatem, castam Vrbani Septimi innocentiam te fore contemplaturam.

D

787437

